INDEX LECTIONUM

IN

REGIO LYCEO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT

MICHAELIS JOS. KRÜGER, THEOL. D. ET PROF. P. O.

IN EZECH. CAP. IV.

EXCURSUS CRITICO-EXEGETICUS.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1858

REGII LYCEI HOSIANI H. T. RECTOR

MICH. JOS. KRÜGER,

S. THEOL. DR. EJUSQUE PROFESSOR PUBL. ORDIN.

REGII LYCEI HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Tribus annis abhinc in prooemio indicis lectionum Lycei nostri efficere studuimus, Exod. cap. 12 olim exhibita esse verba genuina haec:

vers. 40: Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in Aegypto, 30 anni et 4 generationes annorum.

vers. 41: Et factum est expletis 30 annis et 4 centuriis annorum ab eo tempore, quo exiit Abraham de Ur Chaldaeorum, ut proficisceretur in terram Chanaan, factum est eo ipso die, ut exirent omnes exercitus Domini de terra Aegypti.

Praeter testes hujus rei in illa commentatione productos novum eumque satis insignem nobis nec opinantibus reperire obtigit, scilicet auctorem libri jubilaeorum apocryphi, circa annum 322 ante Chr. n. hebraice exarati, deinde graece et ex graeco aethiopice versi, cujus versionis aethiopicae antigraphum ex Habyssinia Tubingam transmissum v. cl. Augustus Dillmannus, nunc Kilonensis professor, lingua germanica in publicum produxit *). De cujus libri scripti aetate, deque fundamentis biblicis, quibus chronologia in eo exhibita innitatur, quum alibi disseruerimus,**) hic satis erit indicasse, libri jubilaeorum auctorem Exod. 12, 40 ipsa ea verba legisse, quae nos ibi genuina esse tunc contendimus, nimirum: Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in Aegypto, 30 anni et 4 generationes annorum.

Jam ne quis Vestrum, commilitones humanissimi, ejusmodi critica studia contemnat tanquam laboris multum, parum utilitatis habentia, Ezechielis caput quartum explicandum nobis sumsimus, a quo exemplo discatis, impensam in studia critica operam minime esse perditam. Quamquam enim caput istud Hieronymo ipso judice continet difficillimam quaestionem et a nullo explanatam,***) fructus studiorum criticorum nostrorum, quorum modo mentionem fecimus, in id exponendum ita redundat, ut nihil jam in eo reliquum sit difficultatis. Sed ad ipsam rem accedamus.

*) In Ewaldi „Jahrbücher der Biblischen wissenschaft" tom. II et III.

**) Zeitschrift der Deutschen morgenländischen Gesellschaft tom. XII fasc. 2.

***) Hieronymi comment. in h. l.

I. Ezechielem undecim annis ante dirutam urbem Jerusalem in Babyloniam captivum abductum in latere fictili deus jubet describere urbem Jerusalem, quae aedificatis munitionibus, comportato aggere, arietibus circumquaque positis hominumque turmis hic illic collocatis urbis obsessae speciem habeat (vv. 1. 2).

Qui sint ii, quos propheta urbem obsidentes descripserit, ex iis quae praeterea prophetae facienda injunguntur, facile intelligitur. Nam primum portanti culpam domus Israel per dies 390 (si quidem textus masorethici lectionem sequimur) descripta ea urbs Jerusalem obsidenda erat, tum post susceptam in se culpam domus Juda per dies 40 obsidio continuanda (v. 3 — 6). Quamdiu culpam domus Israel portans urbem obsidet, panis certi exiguo pondere per dies singulos utitur (v. 9 seqq.), cujus panis sensum deus his verbis aperit: „Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos“ (v. 13). Jam sicut propheta culpam domus Israel portans cibo quodam alitur, quo non aliorum hominum, sed ipsorum filiorum Israel ad gentes ejiciendorum cibus portendatur, eundem in modum dum culpam domus Israel portans aut culpa domus Juda onustus obsidentem agit, eorum ipsorum personam gerat necesse est in obsidenda urbe, quorum in culpa portanda. Quum autem deus a propheta primo domum Israel, tum domum Juda repraesentante urbem Jerusalem obsideri jubeat, non Babylonios aliumve populum, sed utramque eam domum deus obstrictam vult ad obsidendam urbem Jerusalem. Atque ii ipsi sunt, quos Ezechiel in urbe obsidenda occupatos descripsit.

At qualem cogitabimus esse urbem Jerusalem, ad quam obsidendam deus domum Israel et domum Juda impellit? — Nimirum qui urbem obsident, in vicinia ejus urbis sint necesse est: propheta vero domum Israel, sive filios Israel, quo tempore ad gentes ejecti et a terra Chanaan longinqui futuri sint (v. 13), eodem in obsidione occupatos repraesentat. Re sic comparata, ad coelestem urbem Jerusalem textum nostrum respicere contendimus, ut quam ubique prae oculis habere et ex quocunque loco Israelitae intentis viribus petere debeant.

Nec licet nobis supersedere quaestione, quae sit domus Israel in textu nostro obvia, quaeque ejus relatio ad domum Juda. Nam domum Israel domui Juda comparatam hic non esse regnum decem tribuum, in aperto est. Quamdiu enim domum Israel repraesentans propheta urbem descriptam obsidet, totidem singulis diebus praeter exiguam mensuram aquae ei conceditur pondus exiguum panis ita parati et cocti, ut panis polluti figura sit, quem comesturi sint filii Israel, quando eos deus futuro tempore ad gentes ejecerit. Cives regni Israel dudum in exilium Assyrium abducti iterum ad gentes ejici jam non poterant, sed regni Juda tantum cives ii, qui undecim annis ante dirutam urbem Jerusalem una cum Ezechiele in Babyloniam translati non erant (II Reg. 24, 14). Accedit, quod exiguum illud pondus panis prophetae domum Israel repraesentanti per dies singulos comedendi ad cives urbis Jerusalem spectat, sive ad regni Juda incolas vel abductos jam in exilium Babylonium, vel etiam abducendos (vv. 16. 17). Itaque Ezechiel in ipsis civibus regni Juda noverat quosdam, quos metaphorice domum Israel nominavit, et quibuscum comparati reliqui nomine domus Juda item metaphorice vocandi erant. Qua ratione vel quibus rationibus olim regnum Israel recesserat a similitudine regni Juda, eadem vel iisdem fere

diversos inter se cives regni Juda deprehendit, qui suo tempore erant. Duabus autem rationibus ipse Ezechiel alio loco regnum Israel a regno Juda discrepasse docet, primum quod regni Israel longe plures cives fuerint quam regni Juda, deinde quod a templo Salomonis, ad quod unum utriusque regni cives ex mandato divinò confluere debebant, cives regni Juda prope abfuerint, minus prope cives regni Israel (Ezech. 23, 1—4). Atque in hoc cardine res nostra vertitur. Propheta ad informandos et emendandos maxime Judaeos in Babylonia degentes allaborans, actu hoc suo symbolico cohortatur eos, ut in terra exules jam intentis viribus civitatem coelestis urbis Jerusalem sibi acquirendam sumant, a qua longe major pars eorum procul absit. A similitudine hos vocat metaphorice domum Israel, reliquis numero paucis iisque non ita procul a coelesti urbe Jerusalem constitutis nomen domus Juda tribuit (conf. Marc. 12, 34).

II. Ezechiel dum dei jussu primo plerorumque, deinde reliquorum civium suorum culpam portans urbem descriptam obsidet, hoc ipso actu suo docet, propter culpam aliquam populum universum ab urbe coelesti alienum quidem esse, nihilominus tamen singulis injunctum esse a deo, ut civitatem ejus urbis appetant. Prophetae autem plerorumque Judaeorum coelestem urbem obsidentium personam gerenti alia praescribuntur facienda, alia reliquos repraesentanti. Utrorumque faciendorum qui sensus sit, jam proponemus.

1. Dum propheta domus Israel sive plerorumque Judaeorum culpam portans obsidentem agit, quales ii ipsi in imperata a deo coelestis urbis obsidione se praestent, singulis actibus describit. Nam

   a) Inter se obsidentem atque urbem obsidendam posuit sartaginem ferream, quae pro muro ferreo esset. Nam major pars populi ad sartaginem, et quae ex ea prodeunt epulas delicatiores oculos conjiciebat prae petenda urbe coelesti. Qui autem voluptatum praetereuntium desiderio magis quam salutis aeternae tenentur, inter eos et coelestem urbem Jerusalem ipsae voluptates muri ferrei instar obfirmatae sunt (v. 3 — conf. Jes. 59, 2).

   b) In latere suo sinistro recubuit (v. 4). Ut sepulchra hoc nostro tempore patefacta testantur, Babylonii mortuos in latere sinistro positos sepeliebant.*) Quae consuetudo quum Ezechieli reliquisque Judaeis in Babylonia habitantibus nota esset, per metaphoram Hebraeis usitatam hoc actu suo majorem partem populi sui idola venerantem mortuis Babyloniis accensuit, i. e. Babyloniis idola venerantibus. Nam qui idola non viva colunt, ipsis idolis suis similes esse perhibentur, et Israelitae verum deum colentes ut vivi opponuntur populis reliquis ut mortuis (Ps. 115, 4—8. 17. 18).

   c) Culpam domus Israel sive plerorumque Judaeorum in latere suo sinistro collocavit (v. 4). Culpa haec domus Israel in sinistro latere collocata differt a culpa domus Israel, quam portat propheta. Nam quod portatur, sive onus est (Ps. 38, 5), non in sinistro latere ejus collocatur, qui in eodem latere recumbit.

*) Ausland 1858 Nro. 16, pag. 368.

sed lateri ejus dextro imponitur. Itaque major pars populi duplicem culpam habebat, alteram cum parte minore communem, qua ad terram premebatur. alteram peculiarem, qua praeterea ad terram trahebatur. Ad culpam veterem omnibus communem novam culpam plerique accumulabant.

d) Quot dies domum Israel repraesentans in sinistro latere recubuit, per totidem nec plures dies (secundum textum masorethicum vv. 4. 5. 9) panem comedit ita paratum et coctum, ut ipso deo interprete (v. 13) panem pollutum significaret. quem major pars Judaeorum in Babylonia degentium comestura esset. Jam panem pollutum inter gentes manducare idem est atque eosdem cum gentibus cibos comedere: id quod plerique faciebant (Dan. 1, 3 seqq.; Tob. 1, 12). — At ejus ipsius panis pondus exiguum cum exigua mensura aquae Ezechieli singulis diebus concessum quid significet, his verbis deus docet: Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem (i. e. in civibus regni Júda, quos ad gentes ejectos panem similem comesturos esse ab ipso deo v. 13 indicatum erat: conf. Ezech. 23, 4) et comedent panem in pondere et in sollicitudine. et aquam in mensura et in angustia bibent: ut deficientibus pane et aqua corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant in iniquitatibus suis“ (vv. 16. 17). Qui talia patiuntur, non obsident illi quidem. sed obsidentur. Quamquam enim Judaei omnes vocati erant, ut coelestem urbem Jerusalem obsidentes appeterent, longe major pars eorum voluptatibus dedita. idola colens, peccata accumulans, cibos vetitos comedens tantum aberat, ut coelesti urbi obsidendae operam impenderet, ut sceleribus suis deum evocaret ad obsidendum populum totum, quo internecioni daturus partem longe majorem reliquos paucos conservaret (conf. Ezech. 5, 1—4).

2. Postquam plerosque in imperata coelestis urbis obsidione segnes et desides descripsit. jam reliquorum paucorum ad eam urbem obsidendam vocatorum mores actibus aliis expressit. Nam domus Juda culpam portans in obsidione descriptae urbis fecit haec:

a) In latere suo dextro recubuit (v. 6), quoniam qui Judaei idolorum cultum vitabant, non in mortuis ii, sed ipsi vivi erant. Homines autem vivi plerumque in latere dextro jacentes dormiunt.

b) Ad obsidionem urbis Jerusalem obfirmavit faciem suam (v. 7). Antea prae sartagine inter se et urbem obsidendam posita descriptam hanc urbem humi jacens oculis conspicere non potuit: jam vero sartagine remota eos repraesentavit. qui voluptatum desiderio non tenebantur, inter quos et coelestem urbem murus ferreus iste non interjacebat.

c) Brachium nudavit, i. e. ad fortiter expugnandam urbem paratum, se praebuit (v. 7. conf. Jes. 52, 10). Minori enim populi parti id ipsum persuasum erat, quod Matth. 11, 12 sic exprimitur: Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν.

d) Prophetavit in vel super coelestem urbem (v. 7 — ἐπ' αὐτήν LXX), i. e. laudes ejus urbis celebravit futurorumque ejus civium felicitatem praedicavit; quia pars minor populi licet prostrata in terris et humi jacens spe rerum secundarum in regno Christi futurarum erigebatur (conf. Jes. 26, 1 seqq.).

e) A sinistro latere tandem in dextrum versus, donec compleret dies obsidionis suae religiosissime cavit, ne a dextro in sinistrum latus se verteret, ad hoc cavendum specialiter a deo obstrictus (v. 8). Nam pars minor populi ad mandatum dei antiquitus per Mosen promulgatum cavit maxime, ne idolorum cultu inquinata mortuis Babyloniis similis evaderet.

III. Jam unum tantum restat inquirendum, nimirum quid significent numeri dierum pro annis valentium, quibus Ezechiel primum in sinistro, tum in dextro latere recumbens urbem descriptam obsedit, (vv. 4. 5. 6). Sed priusquam ad id vestigandum accedamus, judicandum nobis erit, quot tandem dies propheta in sinistro latere jacuerit. Consonantibus enim diplomatis omnibus in eo, quod 40 dies in dextro latere recubuit, pro 390 diebus secundum textum masorethicum in latere sinistro jacenti absumendis major pars codicum versionis LXX Origenis tempore exhibebat 190, minor pars 150 dies.*) Ex versione LXX ea varietas lectionum in textum latinum versionis Italae transiit, sicut post Origenem lectio masorethica in quaedam exemplaria versionis LXX irrepsit: unde Hieronymus „Satisque miror" inquit „cur vulgata exemplaria (Italam vocat textum versionis LXX latine reddentem) 190 annos habeant, et in quibusdam scriptum sit 150, cum perspicue et Hebraicum, et Aquila, Symmachusque et Theodotio 390 annos teneant, et apud ipsos LXX, qui tamen non sunt scriptorum vitio depravati, idem numerus reperiatur."

Harum trium lectionum ne speciem quidem genuinae habet ea, qua 150 dies propheta in latere sinistro jacuisse perhibetur; nam unde orta ea sit, satis innotuit. Si enim per tot singulos dies cibus idem non consuetus prophetae sumendus erat, quot in latere sinistro recumbebat, in dextro latere jacenti non est dubium quin cibi eligendi libera facultas fuerit. Erant tamen, qui, quum specialiter relatum non sit, quid comederit biberitque propheta per dies 40 in dextro latere jacens, eum alimentis iisdem tam in sinistro latere jacentem, quam in dextro usum esse existimarent. Qui quidem textum hebraicum legentes verba versu 5 exhibita: „Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum (shne awonam)" commutaverunt cum his: „Ego autem dedi tibi duas iniquitates eorum (shthe awonotham)," quumque duarum iniquitatum harum altera 40 annorum sit, alteram 350 annorum computatione invenerunt, nec ipsis numerum hunc in textu exprimere opus erat. Harum duarum iniquitatum vestigium servat Chaldaeus, Syrus eas ipsas habet, et ex aliquo textu Semitico in unum alterumve librum graecum transierunt, ut in codicem A versionis LXX, et in eum, quem tenebat Theodoretus.**) At et Hellenistae ipsi, ejusmodi auxilio non adjuti, peculiari via et ratione caverunt, ne propheta per 40 dies esuriret. Quum enim

*) Vide: Flaminii Nobilii Notae in vers. LXX pag. 179, in Polyglottis Londin. tom. VI.
**) Theodoreti interpret. h. l.

versio LXX prophetam per 190 dies cibo non consueto usum esse traderet, 150 dies eum in sinistro latere jacentem eo cibo sustentatum esse putantes, hunc ipsum numerum versui 4 inseruerunt, post verba κατὰ ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν addentes πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν: quam lectionem post alios etiam Const. Tischendorfus typis imprimendam curavit. Auctum taliter versum 4 Origenes in parte minore codicum versionis LXX, et Hieronymus in quibusdam codicibus versionis Italae deprehendit; sed pars major codicum versionis LXX Origenis tempore, codicesque longe plurimi versionis Italae Hieronymi tempore additamentum istud in versu 4 non exhibentes a textu nostro masorethico in eo recedebant, quod hic vv. 5 et 9 numerum 390 habet, illi 190 habebant. Itaque missis lectionibus iis, quae prophetam per dies 150 aut etiam 350 in sinistro latere jacuisse volunt, utrum dies 190 an 390 in eo latere recubuerit, videndum erit.

Reliqua omnia, quae Ezechiel in actu suo symbolico observavit, indicant, qualiter Judaeorum ad gentes ejectorum pars aut major aut minor ad urbem coelestem obsidendam ipsius Ezechielis tempore se habuerit; unde licet suspicari, et hos ipsos 190 vel 390 dies pro annis valentes in eum finem adhibitos esse, ut designent aliquam conditionem majoris partis Judaeorum ad obsidendam urbem coelestem vocatorum, et partis minoris conditionem aliquam portendi diebus 40 similiter pro annis valentibus. Jam sicut Ezechiel probe perspiciens, quae rationes olim intercessissent inter regnum Israel et regnum Juda, a similitudine illorum regnorum alteri parti Judaeorum sibi aequalium nomen domus Israel tribuit, alteram domum Juda nominavit: eundem in modum existimamus prophetam, scientem ex historiis populi sui periodum 190 vel 390 annorum, quam 40 annorum periodus exceperit, comparatis inter se hisce periodis intellexisse, majorem partem populi sui ad gentes ejiciendi in eodem fere statu esse, qui patrum per 190 vel 390 annos fuerit: minorem autem partem eadem fere fortuna uti, quam patres per 40 annos experti sint; quapropter illos in periodo 190 vel 390 annorum constitutos esse metaphorice a propheta dictum esse, atque hos in periodo 40 annorum. Nos jam historias Hebraeorum adeuntes re vera periodum 190 annorum reperimus periodo 40 annorum exceptam. Nam argumentis non ex hoc Ezechielis loco, sed aliunde petitis ante hos tres annos demonstrasse nobis videmur, 30 annos et 4 generationes annorum, quarum singulae 40 annos contineant, secundum originalem loci Exod. 12, 40 lectionem filios Israel habitasse in Aegypto; unde egressi 40 annos in deserto commorati sunt. Aliam periodum 40 annorum, quam praecesserit 190 vel 390 annorum periodus, nec nobis reperire obtigit, neque alii cuipiam, quum, quae nodi hujus solvendi gratia ab aliis aliter excogitata sunt, artificiosiora ea esse quam veriora intelliget, quisquis in Ezechielem scriptos commentarios oculis fuco non obductis relegerit. Itaque rejecta lectione masorethica, qua propheta 390 dies in latere sinistro jacuisse perhibetur, ut genuinam tuemur lectionem versionis LXX, quae numerum 190 dierum praebet. Et quam commodum nullaque ex parte ad reliqua omnia non adaptatum sensum ea lectio vere genuina suppeditet, vix est quod moneamus. Nam quemadmodum olim Israelitae repromissam terram Chanaan, lacte et melle fluentem, postquam e servitute Aegyptia liberati et in deserto defatigati sunt, tandem vi sibi acquisiverunt possidendam, ita Judaeis in Babyloniam abductis coelestis urbs Jerusalem gaudiis plena proposita est, quam obsidentes aliquando capiant. At numerus major Judaeorum veteri culpae novam multis

modis contractam addens tantum abest, ut coelestem civitatem arreptura sit, ut ne in desertum quidem intrans in quadam Aegyptia servitute detineatur. Reliqui pauci, a nova quidem culpa praesertim idolorum cultu consciscenda religiose abstinentes, onusti tamen culpa veteri, quum in ea Aegyptia servitute non sint, civitatem vero coelestem non jam possideant, ubinam erunt, nisi in quodam deserto?

Quamquam solus numerus 190 annorum quum ad historias Hebraeorum, tum ad contextum aestimatus apparet genuinus, operae tamen pretium est videre, numerus spurius 390 annorum unde ortus sit.

Hieronymi tempore Judaei 390 annos Israelis et 40 Judae jungentes fecerunt annos 430 a secundo anno Vespasiani, quando Jerusalem a Romanis capta templumque subversum est, usque ad futurum reditum populi in tribulatione et angustia et captivitatis jugo constituti ad pristinum statum: ut quomodo secundum masorethicam loci Exod. 12, 40. 41 lectionem filii Israel 430 annis fuissent in Aegypto, sic et in eodem numero finiretur extrema captivitas.*) Captivitatem illi vocabant, quando sub potestate aliorum populorum erant: et 40 ultimos annos captivitatis Aegyptiae quin ab eo tempore supputarint, non est dubium, quo Moses, futurus populi in libertatem vindex, virum Aegyptium interficiens primam in populum dominantem vim fecit. Extremam autem captivitatem 430 annorum futuram esse eo magis confidebant, quod non solum primam in Aegypto patres tot annis passos esse in suis codicibus legebant, sed etiam media, ab urbe Jerusalem anno 586 ante Ch. n. capta incipiens, eundem annorum numerum aut revera habuerat, aut certe non multo excesserat. Nam ab ea urbe tum capta ut Judaei reliqui, ita et ipsi Cyro regnante ex Babylonia in Judaeam reduces aliorum populorum potestati subjecti erant usque ad annum 153 ante Chr. n., quo anno Jonathan in urbe Jerusalem sedem posuit, summusque sacerdos et populi a tributo Syris solvendo per litteras liberati princeps constitutus est, i. e. per 433 annos (I Macc. 10, 1 seqq.). Poterat tamen et captivitas illa post 430 annos finita populusque liber haberi simul cum pace inter Jonathanem et Bacchidem, ducem Syrum facta aut anno 157 exeunte, aut currente anno 156 ante Chr. n., ex quo tempore Jonathan habitans in urbe Machmas coepit judicare populum (I Macc. 9, 54 seqq.). Et sic quidem Hieronymi tempore Judaei suos masorethicos 390 annos annis 40 adjunctos interpretabantur. Ut autem eum sensum locus Ezechielis praeberet, mutato originali numero 190 in spurium 390 Pharisaei effecisse videntur. Nam ad sanas quidem interpretandi regulas examinatus Ezechiel quum doceret, hominem Judaeum quemcunque culpa onustum extra urbem coelestem, et si non in Aegypto, certe in deserto positum esse, vocatum tamen a deo, ut nihil non tentaret, quo cum culpae remissione civitatem coelestem aliquando assequeretur: Pharisaei, justos se Judaeosque tantum non omnes ipsis adhaerentes, et a culpa liberos, neque a regno dei alienos esse existimantes (Joan. 3, 1 seqq.), hoc praejudicio occupati non potuerunt, quin apud Ezechielem, petendae urbis coelestis loco, partam jam bello fortiter gesto populi libertatem commemoratam esse arbitrarentur, omnemque veterem patrum culpam deletam esse contenderent, eo ipso quod ab urbe Jerusalem diruta usque ad Jonathanis tempora populus per 430 annos passus esset aliorum populorum imperium, sive alteram quandam Aegyptiam

*) Hieronymi comment. in Ezech. cap. IV.

captivitatem. Rebus sic comparatis, ad annos 430, quot codices Pharisaeorum Exod. 12, 40. 41 patres in Aegypto habitasse perperam testabantur, libentissime mutarunt locum Ezech. 4, 5. 9, longe audaciores Hellenistis, qui, quamvis versio LXX corruptam aliter lectionem Exod. 12, 40. 41 praeberet, hac re non adigebantur, ut juxta eam genuinum numerum apud Ezechielem servatum depravarent.

Videtis, commilitones humanissimi, ex labore nostro critico in locum Exod. 12, 40. 41 collato affluxisse nobis argumentum, sine quo nonnisi difficillima de Ezechielis cap. IV. quaestio erat, quod vero assecuti jam non ita magno adhibito apparatu sensum impeditissimi ejus loci Vobis aperire potuimus.

Ezechiel igitur propheta, undecim annis ante dirutam urbem Jerusalem in exilium Babylonium translatus, quum 190 annos filios Israel in Aegypto habitasse perhibuerit, antiquissimus fideque dignissimus testis est ejus lectionis, quam in loco Exod. 12, 40 originalem esse ante hos tres annos aliunde probavimus.

Valete, commilitones, rebusque Vestris ad litterarum studia strenui incumbentes prospicite!

Dabamus in Lyceo Hosiano mense Augusto anni MDCCCLVIII.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Introductione in studium theologicum praemissa tradet Apologeticen diebus Lunae et Jovis hor. II—III.
II. De deo uno et trino disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hor. X—XI.
III. Repetitiones et disputationes dogmaticas instituet die Veneris hor. X—XI.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

I. De antiquitatibus sacris Hebraeorum disseret diebus Lunae, Mercurii et Veneris hor. IX—X.
II. Ad Corinthios datam utramque epistolam Paulinam explicabit diebus Martis, Jovis et Saturni hor. IX—X.

Lic. Andr. Thiel, P. P. E.

I. Historiam ecclesiasticam secundi aevi enarrabit excepto die Saturni quotidie hor. XI—XII.
II. De jure ecclesiastico disseret diebus Martis, Jovis et Veneris hor. VI—VII.
III. Disputationes et exercitationes historicas moderabitur die Saturni hor. XI—XII.

Lic. Ant. Pohlmann.

I. Introductionem historico-criticam in sacros V. et N. T. libros dabit nec non de Critica atque Hermeneutica biblica disputabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hor. VIII—IX.
II. Librum Jobi interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni hor. VIII—IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. L. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Physicen docebit experimentisque illustrabit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hor. XI—XII.
II. Astronomiam populariter exponet diebus Mercurii et Saturni hor. XI—XII.
III. Aut mechanicam sublimiorem, aut theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Martis et Veneris hor. XI—XII.
IV. Calculum integralem cum applicationibus tradere perget diebus Lunae et Jovis hor. II—III.

Dr. M. Trütschel, P. P. O. Des.

I. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hor. VIII—IX.
II. Logicam docebit ter per hebdomadem diebus Lunae, Martis et Mercurii hor. V—VI.
III. Aristotelis de anima libellum offert interpretandum semel per hebdomadem hora definienda.
IV. Disputationes philosophicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. F. Beckmann, P. P. O. Des.

I. Sophoclis Oedipum Coloneum interpretabitur aut Platonis Phaedonem ter per hebdomadem hor. X—XI.
II. Taciti Germaniam explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem hor. X—XI.
III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdomadem horis definiendis.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. J. Watterich, P. P. E.

I. De Caroli Magni rebus gestis disseret bis per hebdomadem hor. IX—X.
II. De historia antiqua exercitationes instituet binis per hebdomadem horis definiendis.
III. Migrationem magnam Germanicam enarrabit bis per hebdomadem hor. IX—X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Regii Lycei Hosiani, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones abhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheill-Busseanum.

Ad concertandum commilitonibus proponitur quaestio haec:

Rei monasticae origines atque historia usque ad Benedicti Nursiensis tempora.

Praemium constitutum est XXV Imperialium. Tempus opusculorum Rectori exhibendorum terminatum est d. 1. Julii anni MDCCCLIX.